



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1691. usque ad annum 1701

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1781**

**VD18 13322648**

§. 91. Eiusdem exitus.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67627](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-67627)

Sæc. XVII.  
A. C. 1700.

§. XCI.

*Hujus Conventus Gallicani exitus.*

Hanc demum suam declarationem hi  
Præfules sequenti adhortatione ab-  
solverunt: „Monemus Compresbyte-  
ros nostros, sive Sæculares, sive Re-  
gulares, quicunque Episcoporum au-  
toritate, vel verbum Dei prædicant  
„vel Sacra menta administrant: *Ne ullo*  
*unquam tempore viam Salutis, quam su-*  
*prema veritas Deus, cuius verba in æter-*  
*nun permanent, arctam esse definivit; in*  
*animarum perniciem dilatari, seu verius*  
*perverti sinant, plebemque Christianam ab*  
*ejusmodi spatiofa, lataque, per quam itur*  
*ad perditionem, via, in rectam semitam*  
*woacent. Quæ Christi verba ab Ale-*  
„xandro VII. (in Præfatione sui Decreti  
„dati die 24. Septembr. An. 1665.) in-  
„culcata, altis animis insidere opta-  
„mus, & oramus, speramusque in  
„Domino, fore, ut quicunque hacte-  
„nus laxiores illas sententias, nulla  
„certe ratione, sed alii alios secuti do-  
„cuerunt, docere ipsas jam desinant,  
„quippe quas & Episcopi, ipsique Ro-  
„mani Pontifices reprehendunt: Hæ-  
„retici vero, immerito illi quidem,  
„sed tamen pro more suo Ecclesiæ im-  
„putent, atque invidiæ vertant, filii  
„quo-

**Sæc. XVII**, quoque sæculi ut vanas rideant. Quare  
A. C. 1700, inanem, Deoque, & hominibus exo-  
 sam Sophisticen aliquando aversati,  
 „auctore sancto Hieronymo in cap. 3.  
 „Michææ Prophetæ, ad recta se confe-  
 „rant: ut, qui prius populum blandimen-  
 „tis decipiebant, postea vero annuntianda  
 deterreant, & ad rectam revocent viam;  
 & qui caussa erroris fuerant, incipient  
 mederi vulneribus, que intulerunt, & esse  
 occasio sanitatis.

### §. XCII. *Adversa Bullionii Cardinalis fata.*

*Hode Hist. de Louis XIV. lib. 53.*  
*Vitæ Card. pag. 203.*  
*Mem. Hist. & Chron.* Experiebatur hoc anno acerba nover-  
 cantis fati incommoda Emanuel  
 Theodosius Cardinalis Bullionius. Hic  
 dudum Ludovici XIV. Franciæ Regis  
 gratia potitus, ac pinquissimis Abbatii-  
 aliisque amplissimis favoribus auctus  
 erat, fortuna autem sensim vultum  
 contrahente Regis gratia & benevo-  
 lentia excidit; cum enim ejus Nepos  
 Ludovicus Princeps Turrenius inscio  
 Rege in Hungaria contra Turcas mili-  
 taret, ac propterea in Franciam re-  
 verti prohiberetur, hac severitate nec-  
 non Sedanensis Principatus jactura  
 exacerbatus Cardinalis, incautius Regi  
 obloqui cœperat, quo comperto Rex  
 gravem offendionem, indignationemque  
 ad-